

DEO OPTIMO MAXIMO

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ;

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-tertiâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVII.

M. HUGONE GAUTHIER, Conſil'ario Regis Medico, M. JOSEPHI DE JUSSIEU, Regiæ Scientiarum Academii Socii, vices gerente Doctore Medico, Præſide.

An Magnatibus Rhedula niveo - tractoria? (*gallicè* Traîneau.)

I.

NON ſemper in umbrâ mortis ſedet Medicina, non ſemper in extis cadaverum ægris oracula quæritat, aut ejulatus, funera & mortes à naturâ devicta complorat, agitve triumphos; cum viventibus vivere & mortalibus voluptatum modos & doſes amicâ manu penſitare amat, ne incautos peſſumdet empta dolore voluptas. Divinæ munus artis ſtantibus providere ne cadant, non tantùm lapſos erigere. Hinc latiſſimum & conſtans per hygiaſticas leges Medicinæ beneficium, ſpatium vitæ totum complexum conditioneſque ad omnes proſpiciens. Qualis Ulyſſi Minerva, aſſiſtit homini comes indiviſa, prophylacticam in hiſce

tenebris vitæ facem attollens hygieine. Nondum in auras vitales exclufo fœtui confulit, juffo parentibus regimine ; mox vagientem in cunis, ferocientem in adolefcentiâ, maturefcentem in ætate virili, labafcentem in fenectute, educat, moderatur, firmat, ducit ad longævitatem. Nec unica fanos dirigentis Medicinæ difciplina. Modò vegetioris ultra modum fanitatis donis abutentes revocare ad moderationem ; modò diffidentibus ob minùs firmam valetudinem & omnia tuta timentibus animos addere, jubere ut audeant, ut aufis affurgant, vel fi qui fint, quæ rarior felicitas, *temperati ad juftitiam*, ftatûs optimi diuturnitatem vindicare, prohibendo potiùs quam præcipiendo, & utrimque ne aberrent coercere, fatagit. Verbo dicam, ut parta tueri fatius & facilius quam amiffa refarcire, ita, nec abfimili modo, cæteris Medicinæ partibus præcellit Hygieine, quæ mortalibus fanitatem adftruit, fidejubet & perennat, fanitatem, quâ vigente *pulchrior it dies, & foles meliùs nitent*, quâ peffumdatâ vivere damnum eft. Ex præftantiffimis autem quas ad falubriorem vitæ peragrationem tradit regulas Hygieine, palmam cæteris præripit exercitium modo convenienti inftitutum; cujus quidem fingulæ fingularem fpeciem fuppeditant anni tempeftates, ut funt vere redivivo rufticationes, natatio furente firio, venatio autumnali tempore. Nec fua deficit hyemi oblectatio, ab ipfâmet gelu fævitie, *Rhedulæ niveo-Tractoriæ* artificio deducta.

Duo potiffimum infunt in hoc exercitationis genere commoda, quòd fub dio fiat, citiffimo impetu & vigente aeris elafticitate fummâ, & quòd Magnatibus fpecialiter competat, multa aliundè circa hygieinem peccantibus.

I I.

DUM per motum vehementiorem inclementiæ frigoris obnititur agitata induftria, duriffimam intemperiem in exercitii formam & commodum vertere calluit, atroxque gelu ludis hyemalibus famulari voluit & fcenam ipfis compingere. Ità pol volupe eft, vel fuper frænatas glacie fluviorum undas, præpetibus plantis turbinatim abreptos mirari, vel in obduratâ nive profequi curruum nivalium pompalem turmam & æmulas fugas. Paucis itaque juvat ludos exponere.

Plebeiis addictus prior exiguo fumptu luditur. Sufficiunt fcilicet connexæ pedibus foleæ obtufâ novaculâ & ab anticâ parte reflexâ fubter armatæ, quæ greffus dirigant, ludentemque abripiant in impetum folerti moderandum æquilibrio.

Si vacat placetque diverfas ludi formas ex littore profpicere, totum ludentium agmen priùs intuere, ut æterno motu fluctuatim convulfum ferveat ; ut per indeprenfos & irremeabiles tot mæandrorum errores mifceatur volubile ; ut in fugitivos fequaces fucceffu rapido ruant : mox, ubi rarior turba, felige tibi athletam egregium, fpectandum oculis ufque fequacibus. Afpice nunquam fuî fimilem, modò per inflexos gyros inceptum iter doctum fallere, modò pronâ pedis alterius pernicitate pendulum, dextras finiftrasve impetere & difturbare imbelles ; aut etiam acquifitæ velocitatis ingenio placidè obfequiofum, ut ales æqualibus librata pennis, recollecto plantarum remigio, præterlabi nullo motu & artis quafi immemorem. Ecquid jam fibi vult ? victor abit, longumque vale fimulans, fpernit plaufus fugiente ferro ! jam evanuit ocyor ventis, moxque adeft improvifus nova prodens artis miracula.

Ecce autem infonuit tuba ! quò vocant clamores & mufici concentus ? Accipe feftivum curfus prænuntium ; properemus, obiterque fpectaculi voluptatem præcipe narrandis aufcultans.

Quæ in regionibus hyperboræis victui quæritando & venationi Lapponibus utile negotium *Rhedula niveo-tractoria*, eadem in Mofcoviâ & Germaniâ ludos folemnes, ad magnificentiæ publicæ pompam apparatos conftituit. Nimirùm cum fatis terris nivis atque diri gelu ftravit hyemis fævitia, dies indicitur, fpargitur rumor per civitatem, fit concurfus & expectatio.

Rhedula, cymbæ formam æmulata, duplici & eodem quo *foleæ*, ferro fuperftruitur, bifidâ

carinâ marmoreum per æquor equis abripienda. Ex adunatim reflexis ferris, prora exurgit aurea, corymbos & festas intertexta lauros. Fœminas nobiliores excipit currus triumphalis, aut exquisito ad delicias vestium apparatu superbientes, aut sub antiquis fabularum commentis larvas evanidas, stupendâ inter gelidos horrores Asiaticâ pompâ. Hîc opportuna datur fingendi copia: tot licet & lubeat formas effingere, quot elegantis & eruditi luxûs dabit mythologia, fugæ velocis ingenio præsertim consonas. Finge videlicet magicis artibus abreptam Armidam, aut Thetidis submissa per æquora triumphos, vel reginæ Cleopatræ maritimos fastus, & cæteras hìc laudari longiores historicas scenas. Rostro ponè eminenti post-equitat novus Automedon, ipse larvâ concordi fallax, & moderatur habenas & resupinis inter ulnas amoribus jucunda quæque insusurrat.

Currui junctus sonipes, moræ impatiens, solum spiculis ungulam armantibus verberat, mentitasque assurgit in iras, non jam equus, nam & ipsi partes agunt, ast sus horridus, vel atra tigris, squammosusque draco, aut fulvâ cervice leæna; tam variæ illudunt species atque ora ferarum, quàm belluarum formas non alit monstrorum ferax tellus Africa. Convenere, viam corripiunt ignipedes, ruunt torrentibus undis effusi currus, anteit jubar immensum, argutos ære canoro modulantur cantus tubæ, litui, classica; harmonico fragori reparabilis assonat echo; tumultuosa devolvitur ludi superbia; grassantur procellosi fastus; millena corruscant nocturnæ facis incendia.

I I I.

CEDANT quæ de ludis olympicis audet Græcia mendax in historiis. Jam æmulo certent ardore strenuam & elegantem cursûs nivalis pompam vates extollere, quibus grandia canere faventes annuerunt Camenæ. At nunquam cecinit divinæ artis Princeps Hippocrates, neque sua carminibus pandit oracula. Talibus exemplis addicti medici utili dulce postponunt. Ipsos meditantes detinet conservanda hominum sanitas & hostilis morborum cohors profuganda. Hisce curarum stimulis interdiù agitantur, & inceptos abrumpit somnos assidua ægrotantium imago recurrens. Quid saluriferi præbeat quodvis exercitii genus, quid nocivi præcavendum, ponderat, discutit, judicat Iatrica Curia. Stat coram Senatu Medico judicium expectans Palæstra hyemalis dicata magnatibus. Ipsi salubritatis jura decernunt authoritatum numerus & momentum.

Ea est naturæ lex primaria, ut corpora etiam animata tempestatum vicissitudines subeant; sed eadem artes suadet quibus præsentis tempestatis opportuna percipiatur utilitas. Quod quidem ex prælibatis jam innotuit. Homines à naturæ tramite crebrò devios revocat medicina hygiastica. Institutis exercitiorum discriminibus pro ætatibus, sexu, temperamentis, viribus, præcipuum etiam id commendat ut sint præsenti atmosphæræ conditioni accommodata. Procul hinc igitur ludi umbratiles & incarcerata in ædibus exercitia. Hisce palma profectò decernenda quæ sub dio fiunt & ab ipsâmet aeris temperie quasi defluunt; ista enim digito veluti indice commonstrat & suadet natura. Valido jam assurgunt argumento *Rhedulæ niveo-tractoriæ* commoda. Nec verendum ampliùs ne monitis naturæ obsurdescant magnates, cum accedat ab omni parte incitamentum. Invitat scilicet annua ludorum celebranda solemnitas, invitant tuba bellicè sonans & musici concentus; vocant populares plausus, inhiansque admiratio. Jam voluptas est formidandam ipsis bellatoribus, durosque martis labores remitti jubentem hyemis sævitiam, conspirantibus animis & communi marte debellare. Turpe viris foret non audere quod audent fœminei sexûs imbelles deliciæ. Omnibus addunt animos debita victoriæ laurea, atque triumphales in Rhedulis ambitiosè ornandis recolligendi honores.

Sed ut invalescat apud medicos *Rhedulæ niveo-tractoriæ* utilitas, præcipua quæ impertitur emolumenta corporis œconomiæ evolvere in promptu est.

I V.

JAM diù neminem medicum fugit quòd ſtimulo frigoris & firmiori aeris elaſticitate, quaſi balneo frigidæ, ſopitus excitetur fibrarum tonus; quòd vis contractilis vaſorum contra fluida inſurgat alacrior, & indè liquores interfluentes vividè quaſſati, ſubtiliùs comminuti, expeditiori motu diverſos circuitus abſolvant; calor etiam adaugeatur internè in viſceribus. Ad quid verò tritis adagiis faſtidiosè inſiſtere, dum peculiaria & exquiſita corporibus munera largitur *Rhedulæ niveo-tractoriæ* curſus?

Priores quidem partes agit vis illata pulmonibus, irruente denſi, elaſtici, & ſummè frigidi aeris columnâ. Intruſum vividiùs & uberiùs aeris volumen, Bronchias, cellulaſque pulmonares omnes admodùm diſtendens, ſpongioſam pulmonum maſſam ampliat, Malpighii rete vaſculoſum explicat. Ab expanſis interim oſtiolis perſpiratoriis exhalat copioſa & calida excretio, quam brevì abſtergit ſiccus & frigidus aer. Altæ inſpirationi ſuccedit valida expiratio; quod quidem alternis vicibus millies iteratur. Sic, perſpirationi cutaneæ & non paucis excretionibus, perſpiratio pulmonaris famulatur vicaria; ſic etiam agitati pulmones, diverſis corporis motibus ſupplere quodam modò ſunt idonei.

Non ideò tamen intempeſtivæ quieti indulgent ſuppoſita in infimo ventre viſcera. Citior & ampliata libratio ſeptum tranſverſum inter & muſculos abdominis anteriores inſtituta, blandè ſed potenter ſuccutit organa in cavo abdominis liberè fluctuantia. Indè fit alacrior erectio in plexibus nerveis ad varia ſecretionum munera deſtinatis; indè faciliùs etiam obſequioſæ excretiones. Glanduloſo ſyſtemati adduntur ſtimuli. Succi nutritii proritatur proventus uberior per vaſa lactea, chyli receptaculum, canalem Thoracicum. Defraudatus allatrat ventriculus, debitum ſibi rogitat vectigal, jacturas ardet reſarcire. Suſpenſa etiam in ſexu fœmineo catamenia erumpunt. Purgatis feliciter uteris, ſuis viribus pollere datur & fœcunditati aptiores evadere. Id inſuper boni accedit, quòd mollis & placida hinc & indè ſuccuſſio, quòd ludi feſtivitas & illabens per cuncta ſenſuum organa animis hilaritas, oblectent amicè genus nervoſum, melancholiæ angores, ſi qui ſint, affectiones etiam hyſtericas diſcutiat, animos erigat, faciatque experrectiores.

V.

QUID plura? nunc ſupervacaneum, nauſeoſum Pharmacorum agmen. Palatum ceſſent torquere Magnatibus ingrata pocula. Therapeuticâ nihil opus, cum prophylacticâ præcaveantur morbi. Subacta & foràs protruſa quæ ſanitatem labefactare poterant; omnia proſperè cedunt Magnatum incolumitati, ex quo Galliarum Aula Auſtriacæ Aulæ feliciter æmula, ludos hyemales celebrare gaudet. Quoties igitur faverit tempeſtatis aſperitas, nobili ac ſalutiferæ ſuæ ſe committat paleſtræ AUGUSTA, ſpes & amor Galliarum, REGINA: ſic Gallicæ Gentis vota tandem exolvet optatum Regiæ ſtirpis incrementum. Se ſtrenuos Athletas exhibeant Principes, Magnates & Aulici; advolet confertim populus, ſolemnitatis ſimul & utilitatis particeps. Jam quiſque inſtitutionem celebrans iteratos plauſus addit plauſibus; ſuffragantur Medici nuſquàm auſpicatius utile cum jucundo iniviſſe fœdus; moræ etiam impatiens noſtra properat Concluſio:

Ergò Magnatibus Rhedula niveo-Tractoria.

Proponebat Pariſiis TUSSANUS-CLAUDIUS-NICOLAUS NAVIER, Catalaunus, Doctor Medicus Remenſis, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Medicus Baccalaureus, Theſeos Auctor. A. R. S. H. 1777, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1777.